



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Acta Ecclesiae Mediolanensis

Acta Synodalia Dioecesana Ecclesiae Mediolanensis, Pars Secunda

Borromeo, Carlo

Brixiae, 1603

Synodus Dioecesana Mediolanensis II. Qvam Illvstriss. Et Reverendiss.
Carolus Borromaeus S. R. E. Presbyter Cardinalis Tit. S. Praxedis, Dei &
Apostolicae Sedis gratia Archiepiscopus Mediolani, ...

urn:nbn:de:hbz:466:1-11399

eiuit contra eos, qui secus quàm eo decreto cautum esset fecissent.

Persecutus est etiam alio disertissimo sermone Palmius Iesuita omnem Tridentini Concilij disciplinam.

Post de libro Pontificali publicè lecte sunt clero frequentissimo statz illæ monitiones.

Quibus lectis ritè absoluta & demissa synodus est processione solenni.

SYNODVS DIOECESANA MEDIOLANENSIS II.

QVAM ILLVSTRIS. ET REVERENDISS.
Carolus Borromæus S. R. E. Presbyter Cardinalis Tit. S.
Praxedis, Dei & Apostolicæ Sedis gratia
Archiepiscopus Mediolani,

Habuit anno à Chr. nat. M. D. L X V I I I. die I I I I. Augusti.
Pio V. Pontifice.

In nomine sanctæ, & indiuiduæ Trinitatis, Patris, & Filij, & Spiritus Sancti. Amen.



VT Christiana pietas in vrbe & diœcesi nostra non conferretur solum, sed augeatur etiam, ijs maxime virtutibus, quibus Iesus Christus Dominus noster, ab ijs qui diuino se cultui dederunt, & augeri, & conseruari voluit, vitæ innocentia, moribus sanctissimis, & castissimo cultu: illud nos cum omni æbuitate couiunctum esse censuimus, vt Mediolanensis hæc nostra Ecclesia, quemadmodum ex sancti Ambrosij institutione proprijs & quibusdam certis ritibus moribusque vitatur; ita vnà cū ijs quæ prouinciali Concilio à nobis iā sancita sunt, præcipuas Synodales constitutiones haberet, quibus omnibus vti par est sese conformando, vniuersus huius vrbe diœcesisque nostræ clerus, & in diuino cultu, & in veræ clericalis virtutis disciplina se piè sancteque exerceat. Sed quoniam nondum visitationem omnem absoluimus, neque per occupationes, quibus multis ijsque grauissimis in hoc pastoralis curæ munere discinemur, alia item multa cõsequi potuimus, quæ ad illas pijs conficiendas vsui erāt

necessario; id propterea præstare minime nobis licuit, quod vel maxime cupiebamus, & optabamus quidem certe. Sumus tamen eo animo eaque mente (id quod etiam nos valde curabimus) vt si vita nobis suppetet, proximo sequenti anno cum primùm aliam Synodum habebimus, id ipsum Dei in primis ope atque auxilio perficiamus; cū ad animarum salutem, tum ad diuini cultus christianæque pietatis amplificationem. Interea verò hac ipsa nostra diœcesana Synodo, primùm quæcunque ad Dei omnipotentis cultum, & ad clericorum mores vitamque conformandam prouinciali Concilio à nobis Coepiscoporum nostrorum assensu constituta sunt; ea vobis qui hunc in Synodum conuenistis, legi & recitari volumus; quò illa sæpius repetita, diligentiusque animis & mentibus vestris impressa, omnia vt certè debetis, quo maximo potestis studio, inuiolatè sancteque obseruetis. Reliqua verò, quæ hoc ipso diœcesano conuentu à nobis, Tridentini etiam Concilij iussu, moreque maiorum habito, decernenda & promulganda cõsueimus, pauca ea quidem sunt: quæ partim ad quarumdam prouincialium nostrarum constitutio-

nūm explicationem, partim ad tollendos quosdam morū errores habitū prauo introductos pertinent. Date igitur operam, vt cum hæc ipsa decreta quæ vobis iam edicimus, promulgamus atque sancimus, tum illas etiam prouinciales constitutiones omnes in vsum & consuetudinē vestram, eorumque omnium qui vestræ curæ commisi sunt, inducat; cumque animarum pastores sitis & Angeli, in luce omnium ita agere studeatis, Iesu Christo Domino ministrantes, vt qui vestram in Ecclesia conuersationem, vestraque bona opera viderint, glorificent Deum & Patrem Iesu Christi, cui gloria sit & laus sempiternis ætatum sæculis. Amen.

Indictio Synodi Diocesane. II.

In nomine Sanctæ & Indiuiduæ Trinitatis, Patris, & Filij, & Spiritus Sancti. Amen.

Carolus Borromæus S. R. E. Tit. S. Præxedis Presbyter Cardinalis, Dei & Apostolicæ Sedis gratia Archiepiscopus S. Mediolanensis Ecclesiæ, omnibus & singulis Christianis fidelibus Ciuitatis & Diocesis nostræ Mediolanensis salutem in Domino.

Pastorum officium est, quæcunque & ad conformandam cleri disciplinam, & ad popularium morum emendationem spectant, ea omnia diligenter accurateque videre; vt ne illis id obijci vquam possit, quod apud Isaiam Deus imulator & Dominus ultionum dixit, SPECVLATORES CÆCI, &c. Quare nos eo Pastoralis officij spiritu excitati, etsi vniuersæ diocesis nostræ visitationem iam diu à nobis inchoatam ante absoluere statueramus, quàm diocesanam Synodum coegissemus: tamen quoniam ad eam pastoralis speculationis curam, & ad cleri disciplinam non conseruandam solum verum etiam augendam, adiamenti vel plurimum ex Synodalium rerum tractatione adferri animaduertimus; idcirco diocesane Synodi nostræ, quæ ex sacrorum canonum iure, & Tridentini Concilij decreto eque

uocanda est, indicationem celebrationeue alteram diutius à nobis differri non oportere censuimus. Itaque his nostris literis ipsam Synodum ad diem 26. Iunii proximè sequentis Deo iuuante iterum celebrandam indicimus ac denunciamus. quæ vniuersos & singulos, qui in nostra hæc Mediolanensi ciuitate & diocesi beneficia quæuis ecclesiastica, etiam quæ sine vlla cura sunt, obtinent, quique sacris item ordinibus initiati sunt, eos præterea omnes seculares tum regulares clericos, qui quouis iure aut consuetudine nostræ Synodo diocesane interesse debent, monemus in Domino, eisdemque omnibus & singulis in virtute sanctæ obedientiæ, ac pœnis sacrorum canonum iure constitutis iubemus, vt ipsi ea clericalis habitus honestate, quæ nostris prouincialibus concilijs, & superiori diocesana Synodo, nostrisque item edictis prescripta est, cum superpelliceis etiam mundis, præstituta illa die summo mane ad diocesanam Synodum, quæ in nostra Metropolitana Mediolanensi ecclesia celebrabimus, conueniant: idque non alij eorum nomine, sed ipsimet, nisi legitima causa, quam probare debent, impediti sint, præsent. Inde autem, cum conuerint, ne cuiquam nisi impetrata à nobis facultate discedere liceat: vt Dei ope atque auxilio ea agamus, quæ ad animarum salutem, & diuini cultus incrementum, cleri que disciplinam pertinere ac præstare iudicabimus.

Edicimus præterea (id quod nostro prouinciali concilio secundo decretum est) vt post indictæ huius Synodi promulgationem, in omnibus & vrbis & diocesis nostræ ecclesijs parochialibus, quinta quaque feria in singulas hebdomadas, quoad ipsa Synodus absoluta ac dimissa de more erit, Missa de Spiritu sancto celebretur; in Metropolitana autem & collegiatis processionum etiam munus singulis dominicis diebus intus obeatur; ex animoque preces fiant, quibus à Deo auxilium impetretur pro optimo Synodalium tractationum euentu.

Monemus ite eos omnes & singulos, vt nec etiã in itinere quod Synodi causa huc facturi sunt, neque verò hic item,

ab ea viuendi frugalitate, sacerdotali modestia atque grauitate, q̄ prouinciali Concilio priori præcepta est, discedant; sed cum exemplum fidelibus afferant, vt monet Apostolus, in verbo, in conuersatione, in charitate, in fide, & castitate; tum nobis hoc negotium tractantibus, à Deo Opt. Max. omni animi pietate, sacrificij, precibus, ac ieiunijs auxiliam implorare studeant. In quarum rerum fidem has literas nostra nostrique Cancellarij manu signatas confici, sigilloq; nostro muniri & promulgari, Metropolitanæque nostræ, & Collegiatarum ecclesiarum, Aedumq; Archiepiscopaliū valuis publicè affigi iussimus. Quam affixionem habere eam vim volumus, ac si ipsi singulis quorum interest, illæ allatæ ac denunciata essent.

Dat. Mediolani in Aedibus Archiepiscopaliibus, Dei 23. mensis Maij. 1571.

DECRETA EDITA IN SY-
nodo Diœcesana secunda Me-
diolanensi.

Decretum. I.

DI VINA res est sacerdotij administratio: cui si tales præsciuntur, qui illud vitæ sanctitate, doctrina, fide, & prudentia sustinere possint; tanta, tamque salutaris populo fideli vtilitas existere solet, vt omni pietatis studio, totoq; animo, & mente supplici id sit, à Deo Opt. Max. precandum. quamobrem vt ieiunijs ex sancti spiritus doctrina in Ecclesia Dei institutis per quatuor anni tempora, quibus ordinis sacramento initiantur qui in Dei cultum tradere se volunt, supplicationes etiam adiungantur; quibus, ac reliquis item pietatis officijs, id Dei ope atq; auxilio cōsequamur, vt optimos in Ecclesia habeamus ministros: illud nos parochis nostris omnibus & vrbanis & Diœcesanis iubemus, vt proximo dominico die ante statam illa quatuor ieiunij tempora, in sua quisq; parochiali Ecclesia supplicationes litaniasque vel intus habeat, vel ijs solenni ritu dicendis prosequente popu-

lo Ecclesia foris obeat: quò magis multiplicatis precibus, Sanctorumq; auxilio implorato, tum nos in eo sacre administrationis munere adiuti, ecclesiasticos ordines in illos conferamus, qui ad eam ordinum dignitatem potestatemq; rectè, & cum Ecclesiæ vtilitate gerendam aptiores erant; tum illi etiam ipsi quæ sacris primùm initiandi sunt, aut ad viteriores ordinis gradus progressuri, ita à reliquo populo segregati, virtutum quasi gradibus progredientes, piè atq; adeo sanctè in eo omnium longè maximo & præstantissimo sacerdotij ministerio deum se exerceant, quemadmodum [debet ministros mysteriorum Dei.]

Decretum. II.

VRBANVS Quartus, & Clemens Quintus Summi Pontifices, vnus literis editis, alter Concilio Viennensi, Indulgentias multas ijs concessit, qui & in celebritate Corporis Iesu Christi Domini, & singulis septem illis diebus proximè sequentibus ad Ecclesias conuenerint, diuinisq; officijs interfuerint.

Nos cum maximo opere cupiamus atque optemus, populum fidei curæque nostræ commissum summo illo Indulgentiarum beneficio piè ac sanctè frui posse; neque id ipsū facile illū assequi videamus, nisi de Corpore Domini matutinum officiū interdiū dicatur: ob eam causam decernimus ac statuimus, in omnibus & singulis Ecclesijs tum vrbanis tam diœcesanis, quæ collegiatæ Ecclesiæ sunt, matutinum officiū, præter alias Canonicas horas, non solum festo ipso die Corporis Domini, verum etiam singulis deinceps septem diebus interdiū dici.

Vt autem multis incommodis occurratur, quæ ex eo facile existerent, si ita sero harum Canonicarum horarum officia præstarentur, vt sub nocte præstari oporteret: idcirco iubemus, his ipsis octo diebus Completorij officium Matutinumque deinceps ita dici; vt omne hoc officiū antè solis occasum planè absolutum sit.

In reliquis Ecclesijs, vbi ijs ipsis octo diebus Corporis Domini celebritati dicatis, Completoriū solum non Matutinū officiū dicitur; hæc ipsa Completorij hora, antequam sol occidat, itidem absoluat.

Horarum canonicarum officium in octaua corporis Domini interdiū dicendum.

Supplicatio-
nes ante sa-
crorum or-
dinum col-
lationem.



Decretum. III.

Letaniae maiores restituta.

IN multis ijs, quae à sancta Dei Ecclesia piè instituta, temporum vitio sunt in nostra hac vrbe & diocesi antiquata; litaniae maiores sunt: quas Summus Pontifex, & sanctissimus vir Gregorius primus iustissima quidem causa sanctè instituit, atque in vniuersa Christiana republica vij. Cal. Maii, qui dies sancto Euangelistae Marco dicatus est, eas agi ac celebrari voluit.

Illarum pium vsus in hac nostra Mediolanensi Ecclesia semel introductum, ac diu à maioribus nostris, sanctè seruatam, quibusdam etiam ceteris statutis eodem nomine Ecclesijs, in quibus festo illo sancti Marci die, & stationes essent, & supplicationes haberentur; eum eis temporibus cum penè ita intermissum videamus, vt nullum pristinae institutionis vestigium appareat; nos propterea, qui pro cura pastoralis quam gerimus, audi atque appetentes sumus omnis pij instituti vrbe ac diocesi nostra, retinendi non solum sed etiam restituendi, & quantum in nobis est amplificandi, illud edicimus ac iubemus, vt festo eo D. Marci die, signo campanae dato, clerus saecularis vrbis qui litanias minores obire solet ac debet, is vniuersus superpelliceis & alijs solitis in hoc munere obeundo ornamentis indutus (id quod in ceteris supplicationibus moris est) ad Metropolitanam nostram Ecclesiam conueniat; vnde praefectus post Missae sacrificium, solenni ritu, sanctisque precibus ad statas eas Ecclesias procedat, quae antiqui auctoris Peroldi libro descriptae sunt: hocque processions officio persuffectus, ad eam ipsam Metropolitanam Ecclesiam ordine redeat.

Qui vero sacerdotes eo ipso D. Marci die nonnullis in Ecclesijs extra Portam Romanam fines supplicationes quasdam habere solebant; ijs abrogatis, ad has solemnes obeundas, quas in pristinum statum restitimus, conueniant ita vt ceteri omnes.

Clerus autem diocesanus, in ea quaeque Ecclesia, in quam ob litanias minores conuenire solet, frequens adit ad hoc obeundum christianae pietatis officium; ceteraque vt in illis solet, in his etiam pre-

stari ea intimi animi pietate, religiosisque precationibus, quibus Deus Opt. Max. placatus, tum in rebus aduersis hunc populum adiuet; tum maxime ab ijs calamitatibus, ijsque arumis perpetuo conseruet, quarum causa illae supplicationes instituta primum sunt.

Volumus autem à parochis die dominico, qui festum diem sancti Marci praecedat, fideles admoneri piè ac diligenter, vt ad has litanias ipsi frequentes accedant.

Decretum. IIII.

DIES festus sancti Thomae Aquinatis, qui incidit in Nonas Martij; quo tempore Quadragesimae ieiunium agitur, vt ritu Ambrosiano inita aliqua ratione piè ac sanctè celebrari possit, quoadmodum S. D. N. Pij Quinti Pontificis Maximi constitutione iussu est; eo die celebratur, quem certum postro Calendario quotannis praescribimus; eiusque celebritas ita agatur, & officium dicatur, quemadmodum de reliquis quatuor Ecclesiae Doctoribus ritu Ambrosiano dici solet.

Cathedra item sancti Petri Apostoli qua primum Romae sedet, quae ex veteri Ecclesiae instituto xv. Cal. Februarij celebrari solebat, intermissa iam diu, quoniam à Paulo Quarto Pontifice Max. sanctè renouata est, in hac nostra & vrbe & diocesi celebratur eo ipso die quotannis ex Calendarij nostri ratione.

Decretum. V.

CVM officij Ambrosiani rationem ac normam vel antiquissimam esse constet, quam ab ipso sancto Ambrosio institutam ac praescriptam sanctus Eugenius Episcopus omni & doctrinae & pietatis ratione retineri studuit; vt etiam obseruata est perpetuo catholica Ecclesiae consensu: nos propterea, qui Dei, & Apostolicae Sedis gratia Mediolanensis Ecclesiae administrationi praesumus, omni ratione curare debemus, vt prisca huius Ecclesiae instituta, veteresque ritus, atque adeo ab ipso S. Ambrosio introducti retineantur, & obseruentur. Hoc igitur tempore cum Breuiarium Romanum ex sacro sancto Tridentini Concilij decreto restitutum, nuper Pij V. Pontificis Maximi iussu

Festus dies S. Thomae, & Cathedra S. Petri Roma.

Horae canonicae & Missa ritu Ambrosiano dicenda.

in lucē prodierit; eoq; edito ipsius Summi Pontificis literis interdictum sit; ne reliqua, qualia sunt Breviaria, quæ ducentis ab hac annis in usum & consuetudinem introducta sunt, ad diuina officia in posterum adhibeantur; illudque in primis abrogatum sit, quod à Francisco Quignonio tit. Sanctæ Crucis in Ierusalem presbytero Cardinale conscriptum fuit: nos propterea vt & exequamur quod ab ipso Sanctissimo Pontifice p̄dicatum est, & antiquos in canonicis horis & diuinis officijs nostræ Mediolanensis Ecclesiæ ritus, totamque ipsam Ambrosiani Breviarij rationem conseruamus; illud vniuersis & singulis ijs clericis qui Ambrosiano more diuina officia obire debent; vel quia ecclesiastica beneficia obtinent, in quibus hoc ipso ritu moreq; illa dicuntur; vel quia ipsi ad dicti sunt Ecclesijs eodem Ambrosiano ritu vtentibus; vel quia sacris ordinibus initiati, in huius vr̄bis aut diocesis clero adscripti sunt; ijs edicimus atque iubemus, vt ne ad illius Quignoniani, sed ad ipsius Ambrosiani Breviarij præscriptam canonicas horas & diuina officia deinceps præsentent. Quod si secus ab eis factum erit; eas pœnas illos subire decernimus, quæ Lateranensi Concilio à Leone X. Pontifice Max. & Prouinciali nostra Synodo cōtra clericos constitutæ sunt, qui canonicas horas intermittunt.

Vt verò in illis vna eademq; certissima præscripta ratio seruetur; illi ipsi omnes & singuli octo ad summum post diem Natalem Domini diebus Calendarij habeant, quod anno sequenti accōmodarum, nostraque auctoritate confectum, quotannis in lucem emittetur.

Nè in secularibus vllis Ecclesijs, etiã si clericatus capellæve sint, quæ vel ad ius patronatus, vel ad sodalitatē aliquam pertineant, aut oratoria item sint siue publica siue priuata, liceat (nisi facultate scripto à nobis data, quam nulla alia nisi graui causâ concedemus) alio ritu quàm Ambrosiano Missam aliave diuina officia dici: modò tamen parochiales Ecclesiæ non sint, quæ intrâ suos fines capellas, clericatus, oratoriavē habeant; in hisq; ipsis ex veteri illarū instituto diuina officia celebrent, alio ritu.

hō. p̄. d. Decretum. VI.

QVIBVS in Ecclesijs Missæ complures celebrantur; earum Rectores sacristæve libro confecto sacerdotum in eisdem concessu nostro celebrantium nomina describant, notato etiam nostrarum literarum die, quarum auctoritate id illis permissum sit. Confecto autem sex mensium spatio postquam illæ literæ datae sunt, ne celebrare illos patiantur, qui eius rei facultatem non renouerint.

Vtq; facillè cognosci liceat, an sacerdotes qui in ipsis Ecclesijs Missas certo quodam præscripto numero celebrare debent, hoc ipsam munus omnino præsentent; ob eã causam, præter cetera quæ in huius rei diligentia pleriq; in Ecclesijs præscripsimus, ipsi etiam Ecclesiarum Rectores, alijve ad quos hoc sanè spectat, librum alterum conficiant, curentq; vt in eo ipsis præsentibus eiusmodi sacerdotes, cum ab altari redierint, manu sua, & diem quo in illis celebrarint, & nomen suum notent.

Si quis verò eas Missas celebrare neglexerint prætermiserintve; eorum nomina iidem, qui in vr̄be sunt, ad nos; qui verò in diocesi, ad Vicarium Foraneum cui quisque eorum subiectus est; completo mense tribus post diebus ad summum mensis proximè ineuntis deferant, vt negligentia suæ debitas pœnas luant.

Quod si Rectores, Sacristæ, alijve ad quos hoc pertinet, in eo negligentes fuerint, quod eo ipso præscripto tempore tales non detulerint; mulcentur his sumptibus, qui satis erunt ad eleemosinam sacerdotibus totidem Missas celebrantibus distribuendam; quod ij sacerdotes, quorū hoc celebrationis munus intererat, celebrare prætermiserint.

Si verò in alijs ipsis rebus quas supra ediximus, vllam negligentiam admiserint; pœna mulcentur arbitrata nostro.

Decretum. VII.

QVIBVS in Ecclesijs, vel quia certi dies festi aguntur, vel quia indulgentiæ indicæ sunt, vel alia de causâ Missæ plures celebrantur, quæ alijs solent diebus; tunc in ijs ob Missæ celebrationem ne sacerdoti cuiquæ eleemosinas flagitare accipere liceat, eam si ei ipsi illo

Liber missarum in Sacristia affeandus.

Eleemosina pro missarū celebratione oblatæ quo pacto distribuenda.

nomine quisquam sponte eas offerat; sed is illas in capsula deponendas curet; que certo Ecclesie loco, aut pro sacristia foribus propterea collocata erit.

Cui capsulae ijs ipsis certis diebus sacrista Ecclesiae curator clericum aliquem probatum praeficiat: cuius cura sit, & Missarum numerum describere, & notare item quorum nomine causae illae celebrari debeant; ut ex earum rerum notatione rationeque, sacrista curatorve sacerdotibus statim praescribat, quid pro elemosina oblata ipsi singuli praestare debeant, ad satisfaciendum voluntati eorum qui obtulerint.

Peractis autem sacris, quae pecunia eam ob causam in capsula deponita erit; illa Sacrista vel Ecclesiae curator ijs Sacerdotibus pro rata distribuat, qui eo die in illis ipsis Ecclesiis celebrarint.

Cui vero Sacerdotes, prope eas Ecclesia habitant, in quibus vel dies festus agitur, vel indulgentiae indictae sunt, vel alia causa plures Missae celebrantur; populum suae curae commissum moneant, quas elemosinas Missarum celebrationi dare quisque velit, eas non Sacerdoti ipsi tradat qui celebraturus est, sed in capsulam deferat, quae eo nomine constituta erit.

Decretum. VIII.

NEMO, etiam si parochus sit, neque ullus item cuius sacerdos, cui etiam nostris literis in universa urbe dioecesi que nostra Missam celebrare concessum est, in vllis quibuslibet monialium Ecclesiis celebret; ne superioris quidem permisso, qui illarum curae praesit, nisi facta sibi a nobis nominatim huius rei potestate; idque exceptis ijs diebus, cum in ijs ipsis Ecclesiis funus exequiaeve fiant.

Decretum. IX.

NE vestes, ornamenta, aliave cuiusvis generis indumenta ad usum sacrum comparata, in sacrosancto Missae sacrificio, & reliquis divinis officijs adhibeantur, nisi ex Ecclesiae instituto prius solenni ritu benedicta sint.

Nemo sine facultate celebret in ecclesijs monialium.

Vestes pro divinis officijs bene dicenda.

Decretum. X.

QVOD in Parochialibus Ecclesijs & urbanis & dioecesanis fieri solet, ut parochi fidelibus Dominico die denuncient, quae vigiliae, qui dies festi, quae ite ieiunia in hebdomadam incidant; hoc autem ipsum cum minime consentaneum sit praetermitti negligere in Ecclesia Metropolitana, reliquarum Ecclesiarum quae in nostra urbe & dioecesi sunt, matre, in quam vel frequentissimus populus convenire solet: ideo edicimus ac iubemus, ut in singulos Dominicos dies, unus ex Canonicis eiusdem Ecclesiae minoribus, qui ordinarioli seu notarii nuncupantur, pronuntiato in solenni Missa Evangelio, vigiliae, dies festos, & ieiunia, quae sequenti hebdomada ex sacrosanctae Ecclesiae ritu atque instituto agi celebrarique debent, & reliqua item omnia quae nostro iussu promulganda erunt, populo denuncient.

Vigiliae & dies festi in Metropolitana denunciantur.

Decretum. XI.

IN maiori Missa, quae in nostra Metropolitana, aliisque Collegiatis Ecclesijs, & in ea item Missa, quae a parochis, aliove eius nomine in Ecclesijs parochialibus quotidie celebratur, cum Corpus Iesu Christi Domini suscollitur; signum campanae sono detur: cuius soni significatione, fideles qui in Ecclesia non adsunt, admoniti, ad tanti tamque magni mysterii ac beneficii recordationem animam adijcere atque excitare possint.

Campanae pulsatio in elevatione corporis Domini.

Decretum. XII.

PAROCHIALES Ecclesiae extra urbem, quarum parochi sibi persuadent, eas a cuiusvis Praepositurae iure liberas esse atque immunes, si id publicis monumentis, aliave ratione duobus mensibus testatum non fecerint; intra eam Praepositarum fines esse censeantur, quibus Praepositis illae ipsae parochiales Ecclesiae parochialia officia praestant, vel alio quovis tempore praestiterint. Quod si nulli unquam Praepositurae ea praestiterint; sint eius quae propius abest, iuri adiuncta.

Parochiales ecclesiae alicui praepositurae adiungantur.

Si vero duae tresve Praepositurae paribus inter se intervallis distare videntur earum parochialium Ecclesiarum ca-

rato-

ratores duobus post huius decreti promulgationem mensibus, dicta ipsis Præpositis die vna cum illis ad nos veniant, deliberentque ac statuant nobis præsentibus, cui Præposituræ se addicere velint, qua quidem re semel deliberata & constituta, Præposituræ cui se addixerint, id officij atque obseruantia in posterum præstent, quod cæteræ parochiales Ecclesiæ eidem præstare solent.

Quod autem de Ecclesijs parochialibus constituimus hoc decreto; id etiam ad eas ecclesias pertinere volumus, quæ Archipresbyteratus nomine vocantur, etiã si hæc re ipsa collegium habeant.

Ab hoc tamen ipso decreto illas parochiales Ecclesias excludimus, in quibus alius est diuinorum officiorum ritus, atque ille est qui in Præposituris adhiberi solet: ad quas illæ huius nostri decreti auctoritate solum pertinere aliquo modo possent.

Decretum. XIII.

Parochi, & reliqui ecclesiastici in festo Corporis Domini in suam præposituram conueniant.

PAROCHI, ij etiam qui Archipresbyteri vocantur, alijsq; sacerdotes, & reliqui inferiores clerici, in celebritate Corporis Iesu Christi Domini, tũ in litanijs & maioribus & minoribus, ad Præposituram diœcesanam in cuius finibus habitant quotannis conueniant, & supplicationum & processionis munus superpelliceis induti omnes vna obeant; modo tamen eorum Ecclesiæ alium ritum in diuinis officijs non teneant, atque ille ipse est, qui in ipsa Præpositura feruatur.

Quod munus si quisquam præstare neglexerit recusatitve, id ei poenæ sit, vt per annum ab ordinis sui munere amoueat, aliaq; præterea poena mulctetur arbitrato nostro; idq; nisi vel ob itineris difficultatem, vel loci longum intervallum, vel aliam grauem ob causam sibi facultatè à nobis impetrarit, vt in sua Ecclesiæ id processionis munus præstet.

Decretum. XIII.

Quib9 olea sancta ferre non liceat.

NE parochi laicos homines, aut clericos sacris ordinibus non initiatos mitant, quibus sanctum Oleum & Christma ad se deferendum detur.

Decretum. XV.

INTER cætera pastoralis curæ officia, illud maximè à parochis requiritur, vt sacramenta, quæ diuinæ gratiæ instrumenta ad sanctificandas animas à Christo Domino instituta sunt, non solum purè, sanctè, & religiosè ipsi tractent; verum etiam vt ritus & cæremonias teneant atque adhibeant, quæ in illis administrandis sanctæ Ecclesiæ instituto atque vsu comprobata sunt.

Quare vt vna sit & eadem certissima rituum cæremoniarumque regula, qua in eorum sacramentorum administratione omnes vrbes & diœcesis nostræ sacerdotes vtantur; librum de sacramentorum ritibus, auctoritate nostra à viris grauib; & earum rerum vsu peritis emendatum ac restitutum, & à nobis sedulo recognitum in lucem emitti iussimus.

Ad cuius libri præscriptum omnes & singuli sacerdotes, qui in vrbe & diœcesi nostra sacramenta Ambrosiano ritu & more ministrant, ita se instituunt, vt cæremonijs & ritibus eo libro traditis vtantur, neque vllis præterea alijs. ideoque mensè postquam hic ipse liber editus erit, omnes ij apud se illum habeant.

In quibus parochialibus Ecclesijs in tra urbem Baptismi fons nondum constitutus est, tribus post mensibus ex præscripto Concilij Prouincialis, & regula Instructionum nostrarum generalium omnino construatur.

Quòd si hoc ipso tempore à parochis, aut parochiarum incolis fieri vel negligatur vel planè omittatur; ne in ijs Ecclesijs Baptismi sacramentum ministratur, sed ij ad quos hæc cura pertinet, in Ecclesiam nostram Metropolitanam, aliamve Ecclesiam, quæ in vnaquaque porta eo nomine à nobis constituetur, infantes ad Baptismum suscipiendũ deferendos curent.

Decretum. XVI.

ID curæ sit parochis & reliquis animarum curatoribus, vt quos compatres ita rudes esse animaduertent, qui fidei symbolum, orationem dominicam, & salutationem Angelicam ignorent; eos hoc munus obire ne patiantur, est enim ab omni ratione alienum, vt qui se Deo

Libro rituali edito omnino vtantur.

Fons baptismalis in parochialibus constructus. Prou. r. tit. q. per. ad bap. adm. s. Sin. gula. pag. 7.

Compatres in fidei initijs rudes repellendi.

hæc-

fideiuffores constituant, ij res illas nefciant, quibus se alios instructuros esse sanctè pollicentur. deinde verisimile fit, vt qui in se ipsis hoc neglexerint, idq; culpæ admiserint; negligentiores etiam in eo sint, vt alij ijs rebus instructiores fiant, quarum ipsi rudes omnino sunt.

Decretum. XVII.

Clerici com- CLERICI CIS, qui sacris ordinibus
patres ne initiati sunt, infantem de sacro Baptis-
liant. mi fonte suscipere vetitum sit. ijdemq; in Confirmationis sacramento compatres ne sint.

Decretum. XVIII.

Casuum re- CVM ad populi Christiani disci-
seruatio. plinam & religionem conseruandam,
Sess. 14. de sanctissimorum patrum sententijs, & mul-
casuum re- torum Conciliorum decretis, tum Tri-
seru. c. 7. dentino Concilio, perpetuoq; vniuersè Ecclesie vsu & consuetudine illud obseruatum sit, vt quæ grauiora essent peccata, non à quibuslibet sacerdotibus, sed ab Episcopis solum absoluerentur: nos propterea quorundam grauiorum casuum absolutionem nobis reseruauimus, eosque vnà cum illis quos Concilio nostro prouinciali nobis item reseruauimus, hoc decreto infra ordine quodam descriptos explicari & promulgari volumus; nè ij quibus animarum cura commissa est, & alij item, ad quos vt optimos & fideles ministeriorum Dei dispensatores potestas delata est alios à peccatis absoluendi, ij per imprudentiam extra fines egrediantur permittæ sibi facultatis.
Si qui verò confessores quemquam, vel his criminibus quorum absolutione nobis reseruauimus; vel illis etiam, quorum absolutio Canonum iure, & Apostolica auctoritate Episcopis reseruata est, illegatum absoluere attentarint, nisi facta sibi scriptis huiusce absolutionis potestate; ij excommunicationis pœna afficiantur.

Casus & Prouinciali Concilio, & Synodo diocesana nobis reseruati.

RAPTORES virginum.
Qui moniales violarint, earum se-

pta ingressi sint facultate nõ impetrata.

Qui abortum procurarint.

Qui secundo vel propinquiori cognationis gradu incestum admiserint.

Incendiarij, & qui damni iniuriæve causa vites vel arbores alienas inciderrint.

Ecclesiam polluentes.

Homicidæ voluntarij.

Qui parentes percusserint.

Qui locis pijs infantes exposuerint, cum habeant vnde ipsos alant, neq; eorum locorum damnum resarcierint.

Notarij legata ad pijs causas facta non denunciante, quemadmodum eis prouinciali Synodo à nobis præscriptum est.

Prou. 1. p. 5. de pioru locorum adm. p. 42. 5. Pœnam.

Qui ad magicas artes, veneficia, superstitiones, & alia huius generis, Eucharistia, sacrifisve rebus abutuntur.

Qui duobus post annis quam piorum legatorum dies venit, ea pijs locis non persoluerint, aut eis alia ratione non satisfecerint.

Qui stateras, mensuras, monetasve adulterarint, coruperintve.

Qui clandestina matrimonia contrahere attentauerint, qui ve eisdem interfuerint.

Qui fidei vinculo adstricti de matrimonio inter se contrahendo, antequam solenni ritu illud ex præscripto Ecclesie celebrent, vnà coeunt.

Qui hereticos, heresisve nomine suspectos, eolue item qui hereticorum libros habent, si quos tales sciunt, non denunciant.

Qui ieiunij diebus, alijsve cum ab Ecclesia vetitum est, nulla legitima causa, aut facultate non impetrata carne vescuntur.

Qui virginem, aliamve cuiusvis generis mulierem quouis modo compulerint (causis exceptis à iure permissis) ad habitum cuiusvis religionis suscipiendum, aut ad professionem cõficiendam.

Qui item auxilium, cõsiliu, studiūve eisdem præstiterint; aut quouis modo scientes huic actioni præsentés adfuerint, consenserintve.

Qui nulla iusta causa cuiusvis mulieris voluntatem impederint, quominus velum acceperit, vel votum nuncuparit.

Qui

Qui clerici item quævis ecclesiastica beneficia obtinentes, habitum clericalem non induunt; aut non ijs sacris ordinibus initiati sunt, quos ipsius ecclesiastici beneficij, quod obtinent, ratio requirit.

Qui majori excommunicationis vinculo illigati tenentur, interdicti sunt, suspensive; idque siue ab homine, siue à iure.

Vt autem sacerdotes, quibus hoc audiendæ sacræ confessionis munus commissum est, eam ipsam excommunicationis poenam, quam mox supra ediximus, vel diligentissimè caueant; sciantque præterea quibus quasi finibus eorum auctoritas contineatur: casus qui supra notati sunt, tum eos etiam qui summo Pontifici, & in processu Bullæ die Cænarum Domini latae, & Canonum iure reservati sunt, tum illos præterea qui ad Episcoporum absolutionem canonicis sanctionibus pertinent, ordine descriptos, notatis etiam locis vnde sumpti sunt; eos iussu nostro collectos divulgari iussimus.

Quos casus tabella libellove expressos, vnusquisque confessor, apud se habeat, vnâ cum libro etiam canonum poenitentiarum; quorum cognitio & Canonum iure, & nostro provinciali Concilio eis maximè commendata est, qui in sacris confessionibus audiendis versantur.

Quos verò casus absolutioni nostræ reservauimus, eos parochi & urbani & diæcesani, in sua quisque parochiali Ecclesia quotannis Quadragesimæ & Aduentus initio promulgentur, ut qui confessiones audiunt, excommunicationis poenam vitent, quæ contra facientibus constituta est; tum etiam, vt sciant fideles, quorum peccatorum absolutionem à nobis petant, aut ab ijs quibus id curæ dederimus.

Decretum. XIX.

QUI excommunicationis vinculo irretiti sunt, vt & ii pudore affecti, in sanctæ Ecclesiæ gratiam redire studeant, ediligentius; & alijs ne per imprudentiam cum eisdem vllam commercium consuetudinemve habeant; parochis urbanis cum à nobis, diæcesanis verò cum à Vicario Foraneo seu Praeposito signi-

ficatum erit, quempiam excommunicationis pena affectum esse, ipsi quoque eundem in suis Ecclesijs primo quoque mensis die Dominico talem denuncient.

Neque hoc agere cessent eadem constituta die, nisi certiores à nobis, vel ab illis ipsi quos diximus, facti sint, illum peracta penitentia Ecclesiæ reconciliatum esse.

Hanc præterea diligentiam illi ipsi adhibeant, vt si qui suæ curæ commissi, per annum in excommunicatione & censuris fuerint, neglexerintque Ecclesiæ satisfacere; eorum nomina ad nos deferant, vt contra eos agatur, quemadmodum sacri Canones, & summorum Pontificum sanctiones in eos statuerunt, qui per annum in censuris infortunauerint.

Decretum. XX.

QUONIAM à Christiana pietate alienum est, ad ornatum templorum augendum ea adhiberi, quæ non modò religionem non excitant, sed populariù animos ad nefarias cogitationes alliciunt; ideo nè quis illis orandis peristromata, aulæque adhibeat obscenis figuris contexta; neque item imagines & signa apponat, quæ vel ethnicorum hominum, vel aliarum rerum quæ à loci sanctitate alienæ sint, speciem referant; cum templa Dei pijs atque honestis ornamentis illustrari atque adornari debeant.

Quod de hoc ipso templorum ornatu sancitum est; idem in apparatu, qui in supplicationibus publicis, & die præsertim festo Corporis Christi Domini fit, parochi in suæ quisque parochiæ via, qua processionis munus obibitur, seruari curabunt.

Decretum. XXI.

QUÆ intima animi religione & externo pio cultu à maioribus instituta sunt, ad exercenda Christianæ beneficentiæ ac pietatis officia; ea inductis nonnullis morum erroribus præstari non debent prout quodam habitu, qui non solum ipsorum maiorum voluntati alienus sit, sed à re ipsa quæ sanctè geri debet, maximè abhorrens.

Quare nos cum multis abhinc annis nõ sine magno quodam animi dolore ani-

Tēplorū ornatu & apparatu in supplicationibus

Elemosinarum oblatio quibusque Metropolitanæ ecclesiæ sunt ratio præscripta.

si quis vult

id est vult

vult vult

Prou. I. Que put. ad sacr. p. adm. pa. 11. §. Confessores.

Excomunicatorū denūciatio quando faciēda.

madueteri mās, piam illā Christianę liberalitatis elemosinę que oblationem, quę ad relig. iofissimum augustissimum-que huius vr̄bis templū excitandum, & ad iram Dei placandam olim instituta est, eam ipsam ad quandam speciem traduci; in qua non vlla modò christi- nę virtutis significatio non eluceat, sed res omnis planè spectetur, quę cum ip- sis profanis & à christiana religione ab horrentibus gentiliū institutis & moribus conuenire videatur: id pastoralis nostri muneris rationi alienum non esse censuimus, ei rei quantum in nobis est occurrere; atque ita prospicere, vt conseruata illa quę maximè debet, pia admodum ac liberali in templo Dei exci- tando atque ornando beneficentia; cui vel magna celestis glorię merces pro- posita est; res ipsa non popularibus spe- ctaculis, sed diuinis laudibus, hymnis, atque adeò ijs christiã pietatis actio- nibus geratur, quę hominum mentibus non vllam rerum humanarum volupta- tem, sed diuinarum cultum iniiciant. Itaque quę elemosina ab vnaquaque huius vr̄bis regione in singulas portas distributa, fabrica nomine ipsi templo contribui solet; ea non pomeridiano tē- pore, non sub vesperum, sed manè, omni animi religione & mente supplici fiat. Eo præterea processione ordine præste- tur; vt primò pueri, qui in illius portę seu regionis parochijs doctrinę christi- nę rudimentis erudiuntur, præeant; de- inde ordine procedant homines sodali- tatum, quę disciplinatorum nomine vo- cantur; post hos clerus vniter sus illius regionis elemosinam offerentis: isque & litanijs dicendis, & diuinis laudibus, & hymnis sanctę Catholicę Ecclesię more institutis, id muneris obeat.

Populus verò à parochijs sepè monea- tur, idque præsertim paucis antè huius muneris functionem diebus; quanta ani- mi religione, quàm humili corporis ha- bitu, quàm graui & moderato incessu, quàm rectè atq; ordine hoc ipsū Chri- stianę beneficentię officium à maioribus pietatis ergò institutum obire debeat: ita vt non vlla perturbatione, non con- cursationibus, non tumultibus, non cla- moribus, non profanis spectaculis actio-

nibusve, non canticis denique, quę vel turpitudinis vel offensionis vllam spe- ciem præbeant, id ipsū præstet; sed ita sanè, quemadmodum reliqua omnia præ- stari agique solent ac debet, quę ad Dei laudem referuntur. Videatque propte- rea, ne quę res ad salutem Ciuitatis in- stituta est, ea ipse abutatur ad perniciẽ.

Decretum. XXII.

NE imagines cereę voti causa Eccle- sijs pijsve locis oblatę venditari vllò mo- do possint, ac ne contractę quidem etiã vetustate temporis, nisi concessu nostro in vsum Ecclesię conuertendę sint.

Imagines ce-
reę voti cau-
sa oblatę ne
vendantur.

Decretum. XXIII.

QVÆ res eiusmodi sunt, vnde in ec- clesia Dei offensiones existere facillè so- lent, ijs pastoralis cura occurrendum est diligenter. cum igitur in quibusdam nos- trę diocesis regionibus puellę nobiles non vlla penè habita virginalis pudor- ris ratione elemosinas Ecclesiarum no- mine quærissent, idque fiat non sine qua- dam offensione, & virginalis pudicitię discrimine; illud sedulo curent parochi nostrę diocesis, ne quid tale in suis pa- rochijs posthac vlla ratione admittat.

Puellę nubi-
les ne elec-
mosinam ec-
clesiæ nomi-
ne quærītēt.

Decretum. XXIII.

NON animarum curatores solū, sed capellani etiam, ac sacerdotes om- nes, in sacerdotalibus ijs cōuentibus ad- sint, qui de ecclesiasticis disputationib; in singulos menses haberi solent. Qui in vr̄be sunt, ijs suę quisque portę in cuius finibus domicilium habet, conuen- tui intersint; diocēsani verò ad eius præ- positurę conuentum se conferant, quō- eorum cuiusq; parochus conueniet.

At illis qui animarū curatores nō sunt, ne sententiam de ijs rebus dicere liceat, quę in ipsis Conuentibus agentur; nisi ab eo qui præerit, sententiã rogati sint.

Reliquis verò omnibus in Conuentu actis, cum liberius parochi, de rebus ad animarum quę eorum cuique commissa sunt, curationem pertinentibus age- re volent; tunc capellani, & reliqui qui animarum curam non habent, eius qui Conuentui præest iussu discedant.

Hoc decreto Ecclesiarum quę in vr̄be col-

Conuentus
sacerdotales

collegiata sunt canonicos (nisi parochi sunt) teneri nolumus ; cum in ipsis eorum Ecclesijs certos conuentus constituturi simus inter eos ; idque etiam in quibusdam frequentioribus Ecclesijs Collegiatis quæ in diocesi sunt , statuemus .

Decretum . XXV .

Parochi ante conuentum sacerdotale constituantur . Prou. . pa. de vic. foraneis pag. 27 .

SI quis animarum curator , qui diocesanis conuentibus interesse debet , die ante quam conuentus habetur , vt Concilij nostri prouincialis decreto edictum est , vel eo ipso die mane confessus non erit ; huic illius diei Conuentu Vicarius Foraneus interdicit , nummoque aureo præterea mulctet , quem egentibus hominibus attribuat in ea parochia , cuius parochus hoc erratum admisit .

Itē sacerdotes , & reliqui in Synodo diocesana .

Quo præterea die posthac diocesanae Synodi initium fiet , eo ipso die mane omnes & singuli qui in Synodo adesse debent , ritē primū confessi , sacerdotes quidem sacrosanctum Missæ sacrificium offerant ; reliqui verò inferiores clericij sanctissimam Eucharistiam sumant .

Decretum . XXVI .

Clericis à diocesis finibus sine facultate abesse non liceat .

NE clericis qui sacris ordinibus initiati sunt , quive ecclesiasticum beneficium , idque etiam nullius curæ obtinent , ijs amplius octo dies continenter à diocesis nostræ finibus abesse liceat , nisi literis nostris data ipsis huius rei facultate .

Prou. . x. de Residentia , pag. 10 .

Nihil tamen potesterea ijs derogatum putetur , quæ & Tridentino , & prouinciali Concilio , & edicto nostro , de Curatorū residentia , aut de alijs decreta sunt , qui etiam à beneficijs suis absunt .

Decretum . XXVII .

Clerici sine licentia ne laicis operantur . Prou. . i. par. 2. de negotijs secularibus à clericis fugien .

VT quæ vobis prouinciali Concilio sancita sunt , ea non patiamur vllomodo ab ijs negligi , quorum causa illa decreta facta sunt ; idcirco clericis beneficium ecclesiasticum obtinentibus , alijs item qui sacris ordinibus initiati , laicis hominibus quouis gradu dignitateve præditis , in quocunque vllomunere aut officio obeundo , vel quauis causa illorum domi in vrbe forisve operam suam nauant ; ijs omnibus & singulis edicimus , vt dimissa hac Synodo , mensē post ab il-

lis laicorum ædibus abeant , nisi literis nostris permillum eis erit iusta causa perseuerare .

Si quibus verò huius rei hætenus potestas facta est , id eo ipso præstito tempore nobis denuncient atque ostendant . Qui contra fecerit ; ab ordinis sui munere tamdiu amotis ipso iure sit , quoad nobis videbitur , arbitrataque nostro præterea mulctetur .

Decretum . XXVIII .

QVICVNQVE in actionibus publicis baculum , ferulamve , aut rem vllā aliam ferre solent , quod suæ dignitatis insigne sit ; ij in ijs ipsis publicis munerum functionibus semper insigne tale adhibeant .

Insigne dignitatis officijve quando adhibendum .

Quoniã verò veteri huius sanctæ Mediolanensis Ecclesiæ vsu & consuetudine illud institutum est , vt Parochi vrbanī , caputium quod est eorum insigne , ferant , quo à reliquis qui animarum curam non habent , internoscantur ; idcirco eisdem iubemus , vt illud institutum retineant ; ita vt si qui id eorum insigne (cuius extremam partem interiorem fascia limbove coloris viridis vestiri iubemus) per vrbes non induant ; mulctā cuique sit , quoties contra fecerit , nummus aureus locis pijs arbitrio nostro attribuendus . qua pœna is mulctetur etiam si comprehensus non esset , modò id testatum fieri alia ratione possit .

Parochi caputium ferant .

Hoc autem decreto teneri nolumus , neque Metropolitanæ Ecclesiæ canonicos ordinarios , neque alios item collegiatarum Ecclesiarū Canonicos , eosve qui in his ipsis Metropolitana collegiatisve Ecclesijs officia obtinent ecclesiastica ; idque eo solum tempore , cum ipsi canonici , aut ecclesiastica officia obtinentes , vel processiones , vel alias actiones , p muneris sui ratione collegiatim obeunt .

Decretum . XXIX .

CLERICIS iter habentibus quāuis vestitu contractiori vt licebit , at decentem tamen illum , atque eiusmodi esse oportet , ex quo eos esse ecclesiastici ordinis homines agnosci facile possit .

Clericorum vestitus inuicere , & pileus item .

Cum verò ij ex oppidis , alijsve nostræ dioc-

Prou. 1. p. 3.
de cler. vest.
&c. pag. 18.

diœcesis locis eò venerint, quò peruenire contendunt; etiam si locus is non sit in nostræ diœcesis finibus, talarem togâ atque adeo alias vestes ita induant, vt prouinciali Concilio de clericali habitu, nostrisq; literis aliàs edictum est.

Cum autem vel itlneris, vel cœli grauitate, vel capitis morbo, vel per pluuias, aliave causâ illos pileo vri oportet; is eiusmodi sit, qui à militaris pilei formâ distans, non turbinis speciem præferat, sed talis denique sit, qui ordinis clericalis hominem deceat.

Decretum. XXX.

Explicatio
decreti de
sacerdotali
mensa in fe-
storum cele-
britate.
Prou. 1. p. 2.
de armis lu-
dis.

ET quoniam prouinciali nostro Concilio vetitum est, quo tẽpore vel sacrorum, vel exequiarum causâ in vnum clericum congregantur, ad mensam non plures quàm sex, eosque clericos adhiberi: id quoniam non facîle in nostra diœcesi locum habere potest, cum Ecclesiæ ferè vniuersæ longius inter se distent, graueque esse possit clericis de itinere festis mane eodem die ad Ecclesiam suam redire; id propterea licere volumus parcho tot conuiuias in mensa habere, quot ex Vicarij Foranei facultate sibi permisum erit: modò tamen nè in ijs ipsis vllus homo laicus sit; illudq; præterea seruetur, quod in parochialibus conuentibus de frugali sacerdotaliq; modestia à nobis præscriptum est; & sacra item lectio in mensa perpetuò adhibeatur.

Ibid. de vic.
for.

Decretum. XXXI.

Explicatio
decreti de
canonicali-
bus ædibus.
Ibid. de cle-
rical. ædib.
pag. 19.

QVOD prouinciali nostro Concilio de Canonicali item ædium vsu & habitatione decreuimus; id locum etiam habere declaramus in illis Canonicalibus ædibus, quæ ad Canonicorum domicilium constitutæ, vel in emphyteosim datæ sunt, vel pignori hypothecæ ve tenentur, ob sumptus qui à conductore in illis faciendis aut restituendis facti sunt; modò tamen eiusmodi ædes in Canonicalis domicilij ambitu sint.

Explicatio
decreti de
ijs quæ in fe-
retro adhi-
bent. prou. 1
de fun. pag.
35.

Decretum. XXXII.

QVOD nostra constitutione, quâ prouinciali Concilio confecimus, de ijs quæ in feretro & in efferendis mortuis

adhibentur, decreuimus; in eo decreto conficiendo animi nostri sensum eum fuisse declaramus, vt nihil eo ipso decreto illis parochialibus Ecclesijs, vnde mortui aliò efferuntur, ademptum atque detractum esse velimus de ea canonica portione, quæ illis vel iure vel consuetudine debeat.

Decretum. XXXIII.

QVOD de cruce in funere ferenda nostro Prouinciali Concilio constitutum his verbis, VT ALIÆ CRUCES IN FUNERE NON DEFERANTUR, NISI QVAS SVVS QVANTVÆ CLERVS SVBSEQVATVR; quoniam à plerisque aliquando quæsitum est, an illius decreti auctoritate, Ecclesijs etiam non collegiatis, sacerdotes tamen & clericos aliquot habitibus, in eo funeris officio cruce proptiz vri liceat; nè in posterum ea res controuersa sit, neve inde vlla existat quæstio, hoc Synodali decreto mentis nostræ sensum ita exprimendum censuimus, vt de Collegiatis solum Ecclesijs, neque de vllis præterea alijs, illa prouinciali nostra constitutione sancitum esse declaremus; idque ita planè à nobis expressum, sine vlla controuersia seruari iubemus.

Explicatio
decreti de
cruce in fu-
nere ferenda.
prou. 1. vlt.
§. singulari.

Decretum. XXXIII.

CVM ad nos delatum sit, nonnullas moniales, quæ conuersæ vocantur, in ipsis Monasterij septis habitantes, quæ item professionem confecerunt, eas è Monasterij sui finibus ad funus prodire, idque sit contra Summi Pontificis Pij Quinti constitutionem, quæ est de clausura Monialium; nos propterea vt huic rei occurramus, illud ijs ad quos ea funeris cura pertinet, edicimus, vt ne eas in funere esse patiantur, sed in Monasteriũ ipsas redire curent. Quòd si redire neglexerint, recusarint; illarum nomina ad nos deferant, vt rationem aliquam ineamus de ipsis in Monasterio retinendis & puniendis: id quod ipsius Pontificis constitutione sancitum est.

Conuersæ
moniales ad
funus ne p-
deant.

Parochi præterea & alij funerum curatores in eo etiam vel summam diligen-
tiam

tiam adhibeant, vt ne feminae secula-
res monialibus vestibus induta ad fu-
nus prodeant.

Decretum. XXXV.

Apostata iu-
ra sua exhi-
beant.

QVAM detestabile sit apostatarū
genus, vt pote cum homines sint, quos
voti fidem qua se Deo sanctè adstrinxerunt,
violare non puduerit; id cum ex pa-
trium sententijs, sacrosanctis Canonum
legibus, & summorum Pontificum, Mar-
tini Quinti in primis, & Pauli Quarti
constitutionibus, tum ex re ipsa atque
exitu intelligi licet: præsertim cum ne-
mo sit qui nesciat, quanta, & quam gra-
uia sint Ecclesie Dei per eos omni tem-
pore importata incommoda.

Cumq; ad nos perlatum sit, eos plerosq;
varijs confictis causis asseuerantes sibi
licere extra Monasteria que sui ordinis
sunt, degere; hosq; ipsos non modò in no-
stre & vrbs & diæcesis Ecclesijs diui-
na officia obire, sed etiam (id quod gra-
uissimum est) temeritate quadam addu-
ctos hoc impetrare ausos esse, vt sibi ec-
clesiastica beneficia, quibus etiam ani-
marum curatio inest, conferantur: nos
igitur vt hanc perniciosam hominum
pestem à nostre diæcesis finibus aliqua
intra ratione arceamus, vniuersis & sin-
gulis qui habitu ordinis sui deposito in
diæcesi nostra extra religionis sue Mo-
nasteria viuunt, hoc edicimus, vt men-
se postquam hæc decreta in lucem emis-
sa erunt, facultatem nobis ostendant at-
que exhibeant, qua sibi licere putent ab
ordinis sui Monasterijs abesse. Si qui
præterea ex his in nostra Ciuitate siue
diæcesi beneficium Ecclesiasticum obti-
nent, eo præscripto tempore illorum et-
iam beneficiorum que obtinent, titu-
los nobis exhibeant. Qui verò ad consti-
tutam diem hoc non præstiterint; i om-
nes tanquam veri apostatae, & ordinis
sui desertores, à nostre diæcesis finibus
nulla alia lata sententia statim exulent;
& si qui beneficia ecclesiastica obtinet,
illis ipso iure priuati sint.

Quòd si postea in nostra diæcesis fini-
bus comprehenduntur, graui illa apostata-
rum poena afficiantur, que summorum
Pontificum sanctionibus contra eos con-
stituta est.

Decretum. XXXVI.

ECCLESIA RVM Rectores ne
Ecclesiasticorum prædiorum arbores ce-
dant, nisi quæ cæduæ sunt. si tamen vlti-
mè venerit, vt alias arbores nõ cæduas, vel
ad ecclesiam, vel ad ecclesiasticas aedes
sarcindas restituenda sive, aut aliam ob
causam cædi oporteat; tunc facultate
prius à nobis scripto impetrata, id ab ip-
sis fieri liceat.

Arbores in
prædijs ec-
clesiasticis si-
ne licentia
ne cædatur

Decretum. XXXVII.

NE MO est qui nesciat, quam gra-
ue peccatum sit, bona cuiusvis generis,
fructus, emolumenta, ceteraque eiusmo-
di, quæ Ecclesijs pijsq; loci debentur, per
vim aut fraudem occupare. Vt igitur ab
hoc nefario sacrilegio penæ grauitate
homines deterreantur, & qui sibi huius
criminis conscij sunt, quò grauioribus
penæ vinculis se adstrictos vident, ma-
iori cura maioriq; studio quærant salu-
tatis pœnitentiæ remedia; id parochijs
nostris negotijs cura que nostra prouin-
ciali Synodo dedimus, vt grauissimum
illud Tridentini Concilij decretum eo
de genere latum, primo quoque domini
co die Aduentus & quadragesimæ, in
Missa cum frequentior est populus, in
sua quisque parochia recitet, idque vul-
gari lingua exprimi volumus. Vt autè
in eo recitando ac promulgando vna ea-
demque certa sententiæ formula adhi-
beatur; illud ipsum auctoritate nostra
vulgariter conuersum recitari ac pro-
mulgari iubemus.

Hoc idem quod de Tridentino decreto
edicimus, illis ipsis diebus præstari iu-
bemus in Fulla à Sanctissimo D. N. Pio
Quinto die cana Domini lata, ea par-
te que ad hoc occupationis genus per-
tinet, communi sermone promulganda.
Hoc ipsum seruetur, quod de decimis sol-
uendis Concilio Tridentino grauissimè
decretum, idem prouinciali nostra con-
stitutione promulgari iustum est.

Cum legatum aliquod pium, vel annuū,
vel in perpetuum Ecclesijs locisve pijs
factum est, vt vel Missæ celebrentur, vel
exequiæ etiam anniuersariæ fiant; hoc
præter illud quod in hac ipsa recitiam à
notarijs prouinciali Concilio præstari
decreuimus, Ecclesiarum piorum ve lo-

Promulga-
tio decreto-
rum de oc-
cupantibus
ecclesiastica
bona item-
que de deci-
mis.

Prou. I. p. 38
§. quibus et
Sess. 2. dec.
de ref. c. 11.

Sess. 25. dec.
de ref. c. 12.
Prou. I. vt tu
pra. §. Ne p
incitiam.
Pia legata
Archiepif-
copo de-
nuncianda.

Ibid. p. 3. de
piorum lo-
corum adm.
128. 41.

corum Rectoribus administratoribusve edicimus, vt quindecim dierum spatio post facti legati notitiam, id legatum nobis denuncient; vt quod testamento ipse testator fieri voluit, id nos pro nostra pastoralis muneris cura, pie vt decet, præstari curemus.

Decretum. XXXVIII.

De locationibus prædiorum ecclesiasticorum, cum pacto, vt illa meliora reddi liceat.

VSV & diuturna consuetudine comperitur est, quantum Ecclesijs detrimenti damniq; sæpe importet illa prædiorum ecclesiasticorum locatio, quæ ad certum tempus pactionibus ijs iniiri solet, vt facta testaque ea fieri, melioraq; reddi liceat; ac interdum ea conditione, vt qui sumptus facti sunt, ne possint nisi in ipso extremo locationis tempore recuperari; & qui item conduxerint, eijci amouerive à possessione ne possint, nisi quidquid in illis melioribus reddendis pecuniæ erogarint, quidquidve sumptus fecerint, id omne receperint.

Cum autem qui locarint, ad eos potissimum spectet, pro fructuum & emolumentorum quæ inde percipiuntur ratione, facta illa testaq; facere, ac meliora reddere ipsi tamen collusionem & simulationem quadam vili etiam pretio locantes, ipsum locationis tempus sensim aliquando tam diu protrahunt, quoad viuunt; tunc vt ne quidquid impensarum huius rei causa factum est, ipsi soluant, sed ei qui in eius locum succedet, id oneris relinquunt; tum etiam vt cum is qui conduxerit, multam eo nomine insumpserit, non facile possit is qui illius Ecclesiæ rector succedet, ea ipsa prædia recuperare; sed ne Ecclesia ijs prædijs careat (quæ mortui rectoris culpa pretio etiam sane vili locata sunt) eam cogatur inire rationem, vt illius Ecclesiæ prædiorum magnam partem alienet: idcirco nos, qui pro nostro pastoralis munere Ecclesiarum utilitati cõsulere debemus, huic rei vnde tantum detrimenti tantumq; incommodi ipsis Ecclesijs accidere solet, ita occurrendum censuimus.

Quæcunque ecclesiasticorum prædiorum locationes in posterum eo pacto fient, vt illa meliora reddi liceat, & quidquid in illis faciendis restituendive erogatum sit, id ei qui conduxit,

solui oporteat; hæc inita locationum pactione (nisi quæ emphyteosis nomine contrahitur) ne ius tribuat faciendi impensas, quæ in quouis ædificij genere, et si vtilis, non tamen necessariæ sunt.

Quod si, qui conduxerit, impensas non necessarias in illis vel faciendis vel melioribus reddendis erogarit; nulla sibi neque actio neque exceptio sit, neque item vllò retinendi iure vti possit; sed locatione confecta, quæ prædia conduxit, liberè ecclesiæ restituat reddatve.

Quod si in locatione nominatim pacto facta sit, vt in ædificijs etiam vtilis impensas conductori facere liceat; hæc locationis conuentio conductori nullum ius tribuat recuperandi redimèdive ab Ecclesia, vel ab eo qui in Ecclesiæ curationem locatori succedet, quod ipse eo nomine erogarit.

Si verò vel ex ea ipsa vniuersali conuentione, vt prædia scilicet quæ locationi data sunt, meliora reddi liceat; vel ex facultate qua id nominatim cõcessum sit, vt ædes sarciri aut restitui liceat, restitutiones ædificationesve eiusmodi quæ ad vsum necessarium pertineant, factæ sint; tum ob impensas eo nomine factas, conductori liceat, eius rei quam locationis nomine quotannis soluere debet, partem tertiam sibi in singulos annos retinere, quoad quidquid necessariò erogarit, ipse recuperauerit.

Si autem ad sumptus qui necessariò facti sunt, recuperandos, nõ satis est ea tertia pars; tunc completa etiam locationis die, ne à prædiorum possessione is qui conduxit, amoueat; sed Ecclesiæ rectori liberum sit atque integrum, aut comparata aliunde pecunia ea ipsa prædia de conductore redimere; aut eadem illi ipsi conductori iterum locare, idque tot annis saltem, vt tertiam partem ad minimum in singulos annos eius rei retinendo quam locationis nomine soluit, id omne firma adhuc locatione recuperet, quod ipse erogarit; aut eadem prædia alteri locare, à quo locationis etiam nomine tantum pecuniæ accipere possit, quantum ei debetur qui ante conduxerit; vt hæc pecuniæ summa priori conductori statim attributa, is liberam & vacuum ipsorum prædiorum possessionem

gem Ecclesie relinquat. is autem qui ita conduxit, quotannis saltem tertiam partem eius rei, quam locationis nomine debet, retineat, quoad sibi de pecunia mutuo data satisfactum sit.

Si verò qui his conditionibus conduxerint, tertiam partem in singulos annos non retinuerint, ne ius sit eis ab Ecclesia, nec à rectore qui succedet, repetendis; sed eorum culpæ adscribatur.

Quòd si rector partem eam acceptam ferre recularit, quam sibi conductor eo impensarum nomine retinuerit, hic qui conduxit, reliquam eius rei partem, quam locationis causa debet, soluere ne cogatur, quoad ille se accessisse legitima probatione fateatur.

Si autem ex pactione locationis conductor licuerit alias prædiorum partes quam ædificia meliores reddere; eidem ius sit, quidquid in illis melioribus reddendis quotannis insumpserit, id certis illis singulis solutionis diebus proximè sequentibus, in singulos annos, quibus locatio firma est, pro rata sibi retinere.

Quòd nisi fecerit, Ecclesia, siue qui illius curationi postea præficietur, illos sumptus conductori restituere nullo iure debeat.

Quibus actionibus longius quam supra præscriptum est, tempus conductori tribuitur, in recuperandis sumptibus quos ipse fecit; ex ijs nullum eidem ius recuperationis competat contra Ecclesiam, eumve qui locatori in eiusdem Ecclesie curationem successerit.

Quæ autem locationes ab aliquo Canonico Collegio de prædijs ijs fiēt, quæ non ad singulorum præbendas, sed ad vniuersum ipsum Collegium pertinent; eaque ita fiēt, vt prædia meliora conductori facere liceat; ijs locationibus ita initis, si pecunia certa pactione sit in illis melioribus reddendis, quidquid sumptus eo nomine faciendum erit, primo ipso locationis anno, & reliquis singulis sequentibus annis conductor ita pro rata retineat, vt confecto ipso locationis tempore, demum sibi omnino satisfactum sit de sumptibus quos ea causa fecerit.

Si autem nulla certæ pecuniæ pactione inita sit, non ab ipso primo locationis

anno, sed ab eo anno postquam sumptus eo nomine facti sunt, initium faciendo, impensas, habita temporis ratione quæ permanebit locatio, pro rata in singulos sequentes annos sibi retineat.

At verò quæ locationes à rectoribus iam ad breue tempus ita inite contractæ sunt, vt prædia meliora fiant, huiusmodi pactionis vi atque ratione, & ædificia facta testatæ sunt, & prædia item meliora reddita; in his locationibus ita contractis duo tresve viri vsu periti à Vicario nostro generali deligantur, quorum iudicio ad sex menses contet, quæ res in prædijs Ecclesiarum locatis meliores reddita, quæve restituta sint, & quantum pecuniæ in ijs erogatum sit, quibus rebus melioribus cognitis ac perspectis, tum Vicarius statuatur, quo temporis spatio firma adhuc locatio, is qui sumptus fecerit, eos recuperare possit.

Si verò qui iam conduxerit, in hisce prædijs aliquid melius in posterum reddiderit sumptibus suis; hos sumptus quos fecerit, ea ratione recuperet, quæ à nobis hoc decreto præscribitur; nisi id conuentum sit, vt breuiori tempore soluat, quam à nobis statutum est.

Id autem quòd facilius præstetur, ipsi beneficiorum ecclesiasticorum rectoribus edicimus, vt quæ locationum pactiones de prædijs ecclesiasticis ita contractæ sunt, vt ea meliora reddi quauis ratione liceret; duobus post huius decreti promulgationem mensibus earum exemplum nobis planè exhibeāt; si modò sumptus eo nomine facti recuperati nõ sint; vel illarum pactionum iure est adhuc conductori permittenda facultas illa ipsa meliora reddendi.

Vt verò hoc nostrum decretum omnibus notum sit, ac planè perspectum; illud iussu nostro vulgariter redditum, ab omnibus & singulis nostræ vrbs & diocesis parochijs, festo primo die postquam acceperint, publicè in Ecclesia legi, ac populo frequenti recitari volumus & iubeamus.

Decretum. XXXIX.

QVONIAM in nostra, & vrbe & diocesi est quidam canonum rationi alienæ

B nns

Fructus ecclesie
fastici post

e Actis obi
eum ad que
Peruigant.

nus admodum ac plane repugnans vsus; ut si forte cuiusvis Ecclesiæ rector mensis Augusto aut post eodem anno moritur, is qui in eius locum vacanti Ecclesiæ præficitur (etiam si qui obiit, ut paucos dies Ecclesiæ operam suam nauauerit) ne ullam quidem partem habeat censualium, fructuum, aut emolumentorum, quæ eo item anno ex illius Ecclesiæ prædijs percipiuntur.

Quæ res iure non introducta, Ecclesijs cum maximè perniciosa sit, ijs præfertim in quibus animarum cura exercetur (quoniam non facile quispiam sacerdos illius Ecclesiæ curationem suscipit, unde ne victum quidem vsq; ad sequentis anni initium sperare possit) nos propterea sacrorum canonum auctoritatem secuti illud edicimus, ut si post Cal. Augusti Ecclesiæ rector decesserit, is qui illius Ecclesiæ fructus ad se pertinere asserit, ære alieno si quæ ecclesia habet persoluto, & detractis fructibus, qui ipsius Ecclesiæ Rectori & ministris ad victum atq; ad reliqua onera præstanda necessaria erunt, quoad alij sequenti anno percipientur, qui ex ijs reliqui fructus erunt, eos solum sibi retineat.

Decretum. XL.

De librorum
impressione
ac venditione.

CVM sepè alias Summorum Pontificum, Gelasij in primis, Nicolai item, & Innocentij Quarti constitutionibus factum sit, ut libri falsi, adulterini, & prauis, veteratoria quadam malorum hominum arte excogitati & conscripti in vulgus ne darentur; huic etiam rei quæ maxime perniciosa est, sanctè quidem Lateranensi Concilio Leo X. consuluit grauissima edita constitutione, quæ est de librorum impressione: quam constitutionem, utpote quæ his temporibus in omnem partem valde admodum utilis ac necessaria est, tum Concilio Tridentino, tum Indice librorum Sedis Apostolicæ auctoritate edito iustum est vel diligentissime obseruari.

Nos igitur eam ipsam constitutionem, & quod ipsius Concilij Tridentini auctoritate, Indicisq; regula sancitum est, nostro ordinario munere, & Sedis Apostolicæ auctoritate exequi cupientes; præsertim cum vsu compertum sit, librariorum plerosq; lucrû solû avidos & ap-

petetes libros quosdam imprimere, aut impressioni tradere, ac venales publicè habere, quorû lectione homines, in maximos & fidei, & morum, & vitæ errores incidunt: has ipsis librarijs, seu librorum impressoribus, ijs item qui librum aliquem, scriptumve cuiusvis generis aliud imprimendum curant, regulas præscribimus, ex eo Lateranensi & Tridentino Concilio, & Indice librorum desumptas; quas a omnibus & singulis ipsis seruari volumus, propositis his poenis, quæ ipsdem Concilij, & ipso Indice constitutæ extrema huius decreti parte expressè continentur.

Ne libarius quispiam, seu librorum impressor, aliusve qui libros vel alia cuiusvis generis scripta imprimenda curat, eos eave typis mandet aut imprimat; nisi liber aut scriptum quod impressioni tradendum est, primò recognitum sit & comprobatum, eidemq; subscriptû à nobis, & ab Inquisitore, aut ab eo cui id curæ datum erit.

Cuius libri scriptive recognitio & comprobatio, cum diligenter fiet, tum etiam gratis.

Exemplar autem subscriptionem etiam habeat, quæ ipsius auctoris manu ac nomine notata sit.

Libri scriptive quod impressum in lucè dabitur, comprobatio imprimatur vel in initio vel in fine libri.

Libro scriptive impresso nomen & cognomen imprimentis appositum sit.

Cum primùm autem libri scriptive impressio confecta erit; eius nobis exemplar, aut Inquisitori tradatur, aut ei qui nostra auctoritate eidem subscripserit.

Contra si quis fecerit, excommunicationis poenam subeat; libris præterea impressis mulctabitur, qui publicè comburentur; per annum item ab imprimendû munere amotus erit, tum centum aureos nummos soluet: quam mulctâ locis pijs & religiosis attribuemus.

Bibliopolis autem in libris tum emendis tum vendendis ea omnia edicimus, quæ & ipso toto Indice Sedis Apostolicæ auctoritate edito, & regulis ipsis sancta & præscripta eis sunt; quæ item provinciali nostra Constitutione de hac ipsa re constitimus.

Frou. r. p. 1.
de profess.
fid. & c. p. 2.
s. episcopi.

Quæ

Quæ omnia communi sermone regulis quibusdam expressa, cum & nostra & Inquisitoris auctoritate aliis sibi tradita sint; illa ipsa ab eis diligenter seruari mandamus, propositis pœnis ac multis quæ ipsa eiusdem Indicis regula constata sunt, & alijs præterea pro culpæ grauitate nostro & Inquisitoris arbitratu irrogandis.

Et quoniam hominum animis perniciè & interitum afferunt libri à pestiferis & hæreticis hominibus conscripti; non qui pro ea pastorali curâ quâ gerimus, animarum saluti consulere nihilq; sanè prætermittere debemus, quod ad eam rem pertineat, Indicem ipsum vnâ cum his decretis in lucem dari volumus; vt nostri & vrbani & diœcesani animarum curatores vnâ apud se habeant, studioseque legant, nam cum auctorum, quorû libri anathematis pœna prohibiti sunt, nomina & cognomina alphabeti literis descripta ipso Indice notentur: tum regula traduntur quas nosse ij debent, quibus animarum cura commissa est; vt qui sibi in curam traditi sunt, eos cum opus erit, ipsi moneant, tum de libris cauendis, tum de regulis seruandis.

Quo in officij genere illud ipsi omnibus edicimus, vt si qui in suæ parochiæ finibus sunt, vel heredes, vel vltimarum voluntatum executores, qui libros habeant à defuncto relictos; illud eos moneant, quod decima regula grauissimè sancitum est, vt ne ijs ipsi vtantur, aut in alios quauis ratione eos transferant, priusquam vel ipsos, aut eorum indicem, illi cui id negotij nostra & Inquisitoris auctoritate datum erit, attulerint, ab eoq; ipsos eius rei facultatem obtinuerint; id que nisi manifestò perspicuû sit, libros eius generis esse, vt illi ipsi omnibus permitti sint.

Hoc in genere ijdem eò diligentiores erunt, quò maximè nos id cupimus atq; optamus; vt vrbis & diœcesis nostra omnino libera sit ab ea nefariorum librorum peste, quæ fidelium animis perniciofa & exitiosa est.

Decretum. XLI.

ILLVD sacris Canonibus constitutum est, vt à singulis Parochis diœcesana Synodo cathedralici nomine solidi

duo exigantur; idque argumeto honoris, qui cathedrali Ecclesiæ tâquam matris à cæteris parochialibus Ecclesijs tribui debet. nos tamen hanc pecuniæ summam, quæ superioribus temporibus huic Metropolitanæ Ecclesiæ eo nomine debita est, nec persoluta tamen, eam omnem etsi iure nostro exigere poteramus; quoniam quod eo nomine solui debet præscribi non potest, remittimus ac condonamus ijs ipsis Parochis, qui hoc ipsum cathedralicum prestare debebāt. Sed vt in omni re Metropolitanæ nostræ Ecclesiæ dignitatem & ius retineamus, & quantum in nobis est, conseruemus; illud vniuersos & singulos Parochos monemus, vt reliquis quæ Deo dante in posterum quorannis habebuntur Synodis diœcesanis, hos ipsos duos solidos, quos honoris ergo se Metropolitanæ Ecclesiæ iure debere iam sciunt, omnino persoluant.

Decretum. XLII.

NE quis clericus sacris ordinibus initiatus, qui ve beneficium ecclesiasticum obtinet, præstandis ijs quæ decretis his Synodalibus sancita sunt à nobis; illa vel excusatione, vel exceptione, vti possit, præsertim quòd ea ipsa ignorarit; nos propterea eorum vnicuique edicimus atque id iubemus, vt mensè postquam decreta hæc typis impressa in vulgus data erunt, ea quisque apud se habeat, & studiosè legat.

Quibus decretis ita promulgatis, quidquid fieri præstare iussum aut vetitum est, nisi facultate à nobis scripto impetrata; his ipsis obtemperatum esse declaramus, si id Vicario nostro generali presteretur, aut eius concessu agatur.

FINIS SYNOD. DIOEC. II.

Indicem Librorum prohibitorû, qui in veteri editione ex superioris Synodi decreto hoc loco impressus fuerat, quoniam ille iam denuo immutatus est, ne opus hoc plus iusto exeresceret, omnitem dum censuimus.

Libellus item Canonum penitentiarum & casuum reseruatorum ex superioris quoque synodi decreto hoc loco in altera editione impressus, commodiore loco infra postus est.

B 2 S Y-

na à parochis soluedum.

Hanc synodum omnes ecclesiastici apud se habeant.

Cathedrali
cui in syno-
do diœcesana